Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Revsneri Leorini Silesii Etesiae, siue Apinae Therinae

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1419

LXXVI. Ad D. Ioannem Baptistam VVeberum, Dominum VVeisseburgi, & Grumbachij. Cons. Caes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12434

Visual Library

Sic tu peccati ſi vis quoque ſorde carere,
Vrere, LANGE: vetus dum cinereſcat homo

LXXIV.
E Græco.

Tu licet occultes homines tua facta nefanda:
Cuncta tamen Nemeſis, quæ, facis, ipſa videt.

LXXV.
Ad Ioan. Fridericum à Rhot EQ.

Qui ſibi proponit, nec perficit, hic ſine numis
Ludit: & illudit ſic FRIDERICE ſibi.
Si neſcis, finis tandem, non pugna coronat:
Tu benè propoſitum perfice, victor eris.

LXXVI.
Ad D. Ioannem Baptiſtam VVeberum, Dominum VVeiſseburgi, & Grumbachij. Conſ. Cæſ.

Te quoque fama meas eſt collaudare Camœnas,
Sæpiùs ac de me ſplendida verba loqui.
Tanta tuæ bonitas eſt, & ſapientia mentis:
O ſidus patriæ, magne Vebere, domus.
Iure mades, varioque togæ limatus es vſu:
Et tua Cecropia pectora voce madent.
Scit benè, quæ tua ſit facundia, curia regni
Splendida Romani, Cæſareique fori.

Melliloque

Mellitoque placet tibi carmine compta poëſis:
Et quia digna facis carmine, carmen amas.
Laudati laus pulc[illegible] viri delectat, & ingens
Calcar habet: tua ſic laus mihi calcar erit.

LXXVII.

Ad Adamnm à Kreuth

EQ. & Prouinc. Palat. Neoburg. Commiſſarium.

E Fr. Petrarchæ Italico.

Ira furor breuis eſt: quam ni ratione coërces,
Fit longus tandem, continuuſque furor.
Si manet, ad mortem furor, aut ad dedecus omne
Sic poſſeſſorem ducit, ADAME, ſuum.
Vicit Alexandrum victorem fortior ira:
Quum maior foret, hac patre fit inde minor.

LXXIIX.

Ad Georgium Sebaſtianum Stibarum à Putenheim.

EQ. Fr.

Pocula Pancratius, fratreſque Georgius, atque
Albertus gemini, prima dedêre mihi.
Altera ſed tecum Ioannes ſponte Philippus
Obtulit: ô animo care SEBASTE meo.